

Facultas commissariis à rege data ad ordinandum Torunium tam in religione, quam ceteris rebus civilibus.

137

Sigismundus Dei gratia rex Poloniae etc: Manifestum facimus tenore presentium universis, quia cum aestate praeterita ad civitatem nostram Gedanensem venissemus, ut ea quae illic exorta et patrata fuerunt adversus divinam maiestatem et ecclesiam sanctam catholicam, ac etiam adversus auctoritatem nostram regiam, et in perturbationem ac detrimentum eisdem civitatis nostrae Gedanensis, in pristinum bonum et laudabilem statum ac ordinem reduceremus, idque divina opitulante gratia ad plenum illic perfectum, iamque ad hoc ipsum prosequendum ad alias civitates et oppida terrarum nostrarum Prussiae iter instituissemus, quia tamen praeventi insperata necessitate regni nostri, sententiam nostram mutare, et regno nostro quam alienius adesse coacti fuimus, nolentes tam bonum et necessarium opus, quod ipsi absolute vere non potuimus, imperfectum relinquere, cupientesque ut reliquae quoque civitates nostrae earundem terrarum Prussiae

ad



ad bonum et pristinum statum ac ordinem reducerentur, commissimus et harum serie literarum committimus reverendis in Christo patribus dominis, Mauricio Varmiensi, Joanni Culmensi episcopis, nec non magnificis et generosis Joanni de Lusianis Culmensi et capitaneo Radzineusi, Georgio de Baysen Marienburgensi et capitaneo Gnesnensi, Georgio de Konopat Pomeraniae et capitaneo Swicensi, palatinis. Arnoldo de Franca Culmensi, Ludovico de Mostangen Elbingensi capitaneo Koprzywnensi, Joanni Balinski Gdanensi et terrarum nostrarum Prussiae thesaurario, castellanis, damusque illis plenam facultatem, ut absolutis publicis negotiis in conventu Torunensi, quem ad diem sanctae Luciae proximum illic statuimus, primum de factionibus ipsius civitatis nostrae Torunensis, eorumque authoribus, item de invecata illic pestifera secta Lutherana exactissimè inquireant, facinorosos homines qui in praemissis noxii et authores inventi fuerint, penis debitis, secundum quod illis videbitur, puniant, magistratum eiusdem civitatis Torunensis in dignitatem et auctoritatem pristinam restituant, Franciscum Estche, qui propter famam virtutis et fidei nobis est non vulganter commendatus,

ad



561

ad sedem proconsularem, et locum ac ordinem senatorium revocent ac reponant, deinde omnes defectus ipsius civitatis corrigant ac emendent, ac statum eius ad bonum et tranquillum ordinem restituant, constitutiones nostras quibus opus esse videbitur, edant et promulgent, aliaque omnia et singula agant et constituent, que ad bonum et tranquillum statum ac regimen eiusdem civitatis Torunensis et incolarum eius spectare videbitur, etiamsi talia forent, que mandatum exigerent magis speciale, quam presentibus est expressum, unius aut duorum consiliariorum nostrorum predictorum absentia non obstante. Quidquid autem per illos actum, gestum et constitutum fuerit, id omne tanquam per nos ipsos fiet, ratum, gratum et firmum nos habituros in verbo nostro regio promittimus et pollicemur, harum testimonio literarum, quibus sigillum nostrum est impressum. Datum Cracovie 1526.



Faint, illegible handwriting in a cursive script, likely a historical document or manuscript. The text is spread across the page in approximately 20 horizontal lines. The ink is very light, making the words difficult to discern. The paper shows signs of age, including a vertical crease on the left side and some discoloration.